COMMENTARIVM VII.

DE

MINISTR. FORTVNAE AVGVSTAE

RAYMVNDI GVARINI.

NEAPOLI,
Apud Raphaelem Miranda
1830.

PRAELOQVIVM.

Quod olim *Ministros Augusti* denuntiavimus alios extitisse a *Ministris Fortunae Augustae*, illosque his tempore praeivisse tantisper; quod Pompeis templum stetisse, coniecimus, *Fortunae Augustae*, cui qui ministrabant, *Ministri* dicebantur *Fortunae* Augustae; haec demum universa nuperae Pompeiorum effossiones ita confirmarunt, non sine Fastorum Consularium insigni emolumento, ut nullus iam de his ambigendi locus supersit. Et ne in re tanta lectoris cupiditatem sine causa moremur, marmora ipsa recens eruta Pompeis protinus in medium afferemus, quae de singulis testimonium dicant luculentissimum.

§. I.

De Aedis Fortunae Augustae Pompeiorum auctore, et anno.

In causa hac dicenda primus sine controversia, invidiaque locus tribuendus novo huic marmori Pompeiano, quod tale est:

I.

M. TVLLIVS. M. F. D. V. I. D. TER,
QVINQ. AVGVR. TRIB. MIL. *
A. POP. AEDEM. FORTVNAE. AVGVSTAE. SOLO. ET PEQ. SVA *

Lapis prostabat olim ad vestibulum ipsum *Aedis Fortunae Augustae*, quae deinceps postrema vox tribus unis literis prioribus AVG. in caeteris Pompeiorum titulis conspicuam se dabit. Templi molem si spectes, ea satis modica; si formam, haud modicae elegantiae, quantum ex vestigiis adhuc superstitibus colligere datum. Viae publicae imminet, eminetque, nec nisi per gradus plures

ad illam ascensus est ad partem vestibuli utramque, quos et ferreis quondam chlatris fuisse septos, evidens adhuc est.

Solo, et pequnia sua. Idest aedem non tantum impendia sua, sed et in *solo suo* a fundamentis excitavit, absolvitque M. Tullius, quod idem est, ac si dicas: *a fundamentis* in *solo* suo et excitavit, et perfecit. Potest quippe in *solo non* suo excitari aliquid *pecunia sua. A solo* deinde, sive a fundamentis excitare aliquid, non idem sonat, ac *a solo*, sive a *fundamentis* restituere. Illud opus insinuat *novum* ex integro: hoc opus collapsum a fundamentis ipsis restituere, quod nisi *collapsum* ante sit, *restitutum* quidem aptissime dixeris: si a *fundamentis* addas, contra usitatam formulae acceptionem dixeris.

Notum eruditis, Tullios Cicerones Pompeianis multis de causis coniunctissimos, et praedia habuisse Pompeis, et a municipalibus praeterea honoribus minime abhorruisse. Quintum etiam Tullium, Q. filium, duplici in titulo Pompeiano supra offendimus, qui D. V. I. D. Pompeis processit, huiusque facile ne-

pos extiterit Marcus hic . M. F. Tullius, idemque conditor Aedis Fortunae Augustae. Verum quo minus haec de Tulliis Ciceronibus accipiamus, obstat in primis *Ciceronum* cognominis perpetua omissio. Sed quicunque demum Pompeiani hi Tullii fuerint, primores profecto inter Pompeiorum caput extulit Marcus hic noster, qui Duumvirali dignitate tertium, Auguratu, Quinquennalitate, et Tribunatu militum a populo tam pulcre se commendat; quamquam haec parum ad nos pro re proposita. Illud attinet propius, ecquo Urbis conditae anno excitari Pompeis Aedem hanc Fortunae Augustae contigerit.

Octavius anno V. C. 727. eodemque septimo supra vicesimum ante Dionysianam aeram, post Antonium debellatum, auctore Munatio Planco, de Senatus sententia, *Augusti* nomine auctus est. *Ministri* idcirco, sive *Augusti*, sive *Fortunae Augustae*, praeire anno huic nulla ratione possunt, quem consequantur omnino, necesse est. *Ministri* obviam se dant an. V. C. 752., altero ante aeram Dionysianam. Hoc igitur anno ad minus institutos eos fuisse, oportet. Alia for-

tasse marmora, quae delitescunt adhuc, docebunt, ante institutos: at nunc, quod est, eo uti decet. De *Ministrorum Fortunae Augustae* prima institutione docet marmor hoc Pompeianum alterum:

2.

AGATHEMERVS. VETTI
SVAVIS. CAESIAE. PRIMAE
POTHVS. NVMITORI
ANTEROS. LACVTVLAN
MINIST. PRIMI. FORTVN. AVG. IVSSV
M. STAI. RVFI. CN. MELISSAEI. APRI.
D. V. I. D
V.C.756. P. SILIO. L. VOLVSIO. SATVRN. A.V.3.
COS

Marmor longitudine non excedit palmum cum triente: in latum aequale palmo uni cum sextante. *Ministri* quatuor, iique *servi* omnes. Gens *Lacutulania* nunc primum de tenebris in lucem prodit. Titulum hunc priori supparem aliquantisper credimus; nam et tempus aliquod pro Aedis conditu praecessisse,

necesse omnino fuit, et conditam, ornatamque haud credibile est diu suis caruisse *Ministris*. Nec male suas inierit rationes, qui intervallum hocce intra biennium concluserit. *Ministros* idcirco *primos* nuncupatos arbitror, quod ab Aede posita primi omnium processerint. Nam si τό *primi* ad dignitatis, non temporis ordinem, esset referendum, iam emersissent alicunde *Ministri secundi*, quod factum nunquam incurrimus. Quin posthac hi iidem Ministri perpetuo *Ministri Fortunae Augustae* consalutabuntur sine τῳ *primi* additamento. Verum haec leviora. Graviora sine dubio, quae sequuntur, nodosque praebent vindice dignos.

P. *Silio*, *L. Volusio Saturnino Cos.* Nihil P. huic Silio cum Silio illo Nerva, quem Consulem Fastographi referunt cum M. Appuleio ad an. V. C. 734. Nihil iterum commune L. Volusio Saturnino cum Cn. Sentio Saturnino, anni proxime insequentis consule, cui Fastorum Curatores collegam addunt Q. Lucretium Vespillonem. Biga nostra consularis marmoris Pompeiani ad annum V. C. 756. omnino reiicienda, eumdemque

undecimum ante Augusti obitum, eaque ipsissima est, quae in Gabiorum legitur fragmento a Marinio (a), viro summo, allato, quodque in mentem nobis revocasse Burghesium nostrum, ingenue libentissimeque fatemur. Praestat illud in medium proferre, quod non iniucundum lectoribus futurum confidimus:

. . . . L. ALFENIVS
. . . IVL. P. LENTVLVS. P. . QVI
. . . DECESSIT. XIII. KAL. OCT
M. SERVILIVS L. LAMIA
. . SVF. K. IVL. P. SILIVS. L. VOLV. . .
SEX. AELIVS. C. SENTIVS
SVF. K. IVL. C. CLODIVS. CN. ST. . .
C. CAESAR. DECESSIT. VIIII. K. M . .
CN. CINNA
SVF. KAL. IVL
M. LEPIDVS

(a) Fr. Arv, pag. 24.

Suffectis itaque Consulibus ex Kalendis Juliis an. 756. adcensendos P. Silium, et L. Volusium, discimus a Gabino fragmento: sed *Saturnini* cognomen L. Silio inditum, marmori pompeiano debemus:

alterius sic
Altera poscit opem res, et coniurat amice.

Rursus, quod e recitato fragmento constet, P. Silium cum Volusio suffectos fuisse ex Kal. Juliis, monemur apertissime, Ministros Fortunae Augustae aliquanto post Kalendas Julias fuisse primum Pompeis institutos. Quadriennio ergo. quantum hactenus e marmoribus eruitur, Ministri Augusti praeeunt Ministris Fortunae Augusti. Sed in scopulum incidimus, quem, qua via evadam, certo non video. In Comment. priore §. III. n. I. pro anno 756. aeraeque vulg. 3. Consulibus M. Servilio, et L. Aelio Lamia, D. V. I. D. fuere P. Numistrius Fronto, et Q. Cotrius. Quî factum ergo, ut hoc eodem anno, si marmori huic fides habenda, non iidem *IIviri* cientur, sed co-

rum loco, M. Staius Rufus, et Cn. Melissaeus Aper? An et Pompeianis IIviris Numistrio, et Cotrio ita suffecti Staius Rufus, et Melissaeus Aper, ut Romae Consulibus Servilio, et Lamiae suffecti ad Kal. Julias Silius, et Volusius? Haec una mihi evadendi via datur. Idque ex eo fit veri similius, quod anno insequente confirmatos in Duoviratu Rufum, et Aprum supra deprehendimus.

In hiatum post haec impingimus, utinam beneficio temporis vel ex parte implendum! annorum plusquam triginta. Post annum siquidem 756. vix lapides duos Ministrorum Fortunae Augustae offendimus ad annum 787. V. C. referendos, sed mutilos ambos, parte inferna alium, alium superna. Ex quo initum consilium alterum ex altero mutua ope restituendi. Quod an ex auspicato processerit, eruditorum esto iudicium.

3.

GRATVS. ARR. L
MESSIVS. ARRIVS
INVENTVS
MEMOR. ISTACID
*..Iin. For*T. AVG. MERC. MAl*ae*
D. D. IVSSV
M, *Vesoni*. *m*ARCELL
D. V. I. D
M. Lucreti. Epidi. Flacci. Praef.
Caesaris
D. Lucreti. Valentis. L. Albuci. Celsi
IIvir. V. A. S. P. P.
V.C. 787. *Paullo. L. Vitellio. Cos* A.V. 34.

Lapis alter parte superiori decurtatus talis est:

4.

Gratus. Arr. L
Messius. Arrius
Inventus
Memor.. Istacid

Min. Fort. Aug. Merc. Maiae
D. D. iussu
M. Vesoni. Marcelli
D. V. I. D
M. LVCRE*ti. Epid. Flacci. Praef*
*c*AESARIS
L. ALBVCI. CELSI D. LVCRETI. VALENTIS
IIVIR. V. A. S. P. P
V. C. 787. PAVLLO. L. VITELLIO. COS. A. V. 34.

Ex parietinis Pompeiorum titulis duo prodeunt Lucretii Valentes sub uno Decimi praenomine, quorum Pater alter, alter filius. De Patre sic:

SATRIO. LVCRETIO. VALENTI. MVNIFICO
IV. SIBI. LIBERIS. FELICITER. PRO. VALENTE. EX. ROG

in quo notam numeralem IV ad τὸ *munifico* refero, ad insinuandum, munera ab eo pro quarta vice Pompeis edita fuisse. De filio huius haec:

VALENTIS. FLAMINIS. NERONIS. AVG. F. PERPETVI
D. LVCRETI. VALENTIS. FILI
P. COLONIA
V. K. APRIL. VENATIO ET VELA ERVNT

Nero autem hic intelligitur Tiberius, Augusti ex adoptione filius. Decimum vero Lucretium tituli utriusque de Ministris Fortunae Augustae, non filium, sed patrem fuisse, arbitror.

§. II.

De Ministris eisdem ab V. C. 797. *ad annum usque* 814.

De Ministris *Fortunae Augustae* iustitium iterum integri decennii. Nihil enim, quod eos attingat, medium se dat memoratum inter annum 787. de quo supra, et 797. de quo nunc dicendum. Id autem inde contigisse opinor, quod mortuo Tiberio, Augusti cultus paullatim deferbuit. Marmor interim anni huius nota consignatum tale quaquaversum est, ut iustitii damna non sine usura

rependere videatur. Adsurgit in longum per uncias sexdecim, cum latitie aequetur unciis viginti tribus, estque huiusmodi.

I.

V.C. 797. TAVRO. STATILIO A. V. 44.
.. TI. PLATILIO. AELIANO. COS
L. STATIVS. FAVSTVS. PRO
SIGNO. QVOD. E. LEGE. FORTVNAE
AVGVSTAE. MINISTRORVM. PONERE
DEBEBAT. REFERENTE. Q. POMPEIO.
AMETHYSIO
QVAESTORE. BASIS. DVAS. MARMORIAS.
DECREVERVNT
PRO. SIGNO. PONIRET

Basis pro *bases*, aut *baseis*, more archaico, ut *marmorias*, et *poniret* pro *marmoreas*, et *poneret*. L. ergo Statius Faustus SIGNVM voverat, quod *e lege Ministrorum Fortunae Augustae* ad aedem Fortunae ipsius ponere debebat. *Votum* interea hoc, referente Q. Pompeio Amethysio, Quaestore, utique Pompeiano, *commutatum* vides, ut

Theologorum formulis utamur, in *Bases duas marmoreas e lege Ministrorum Fortunae Augustae.* Non itaque vilis adeo, spernendaque, quod nonnullis animo insederat, ministrorum conditio in universum, quos *pro ministerio*, et *ferendi leges*, et *vota commutandi* potestate pollentes videmus, ut quaestio omnis abhinc hac in re vel contumacissimis plusquam profligata videri debeat. Nunc de Tiberii Platilii Aeliani consulatu paullo operosius inquirendum. Qua in quaestione enodanda de Tauro Statilio, qui in marmore Platilio praefulget, ante videndum, quandoquidem multi eiusdem nominis Consules occurrunt in Fastis.

Obviat ante caeteros T. Statilius Taurus e Suffectorum catalogo anni 717. Pone sequitur T. Statilius Taurus, Augusto ipsi Collega datus ad an. 728. Ad annum deinde 764! prosilit in medium Consul ordinarius T. Statilius Taurus, qui idem fortasse, ac Statilius Taurus Sisenna, Consul item, iterumque anni 769. Sed et occurrit T. alius Statilius Taurus. Consul ordinarius anni 797, aliusque demum anni proxime insecuti 798;

cui *Corvini* additum cognomen. Nec ad nomen quod pertinet Consulis prioris monumenti Pompeiani, aliud praeterea adnotandum se dat e Fastis Consularibus.

Verum enimvero cum Ministros Fortunae Augustae non ante annum V. C. 756. institui Pompeis contigerit, ut loco suo ostendimus, in aperto est, Statilios omnes, qui aetati huic anteiverint, arcendos esse a lapide nostro pompeiano, in quo Ministrorum Fortunae Augustae tam splendida recurrit recordatio. Res igitur ad Statilios redit temporum insecutorum Consules, annorum puta V. C. 764. 769. 797. et 798. Id vero constare nullo pacto potest, nisi ante de *Ti. Platilii Aeliani* consulatu constiterit.

Platilii nomen hactenus inauditum. Putat idcirco Burghesius noster, *Platilium* in *Plautium* fore recudendum, cui cum *Aeliani* cognomine ex adoptione *Tiberii* quoque adhaesit praenomen. Et quod Plautius hic Aelianus, Claudii Legatus, eumdem Romae triumphaturum secutus sit, facile ex eo merito, ut Burghesius idem recte coniicit, consulatus

illi obtigit. Quae de Plautio habet Tacitus (a), iuvat hic obiter adtexere : *Et Pomponia Graecina insignis femina , Plautio , qui ovans se de Britannia retulit , nupta , ac superstitionis externae rea , mariti iudicio permissa. Isque prisco instituto , propinquis coram , de capite. famaque coniugis cognovit. et insontem nuntiavit.* Fidem interea Burghesianae coniectarae astruit certissimam Marmor Gruterianum, quo de primo hoc Plautii consulatu sub Claudio docemur apertissime , itemque de altero cum Praefectura Urbis sub Vespasiano Imperatore. Quam Gruteri inscriptionem (b) plane opportunissimam , piaculum esset heic praeterire :

TI. PLAVTIO. M. F. A. *nep*
SILVANO. AELIANO
PONTIF. SODAL. AVG
III. VIR. A. A. A. F. F. Q. TI. CAESARIS
LEGAT. LEG. V. IN. GERMANIA
PR. VRB. LEGAT. ET. COMITI. CLAVDI
CAESARIS. IN. BRITANNIA. CONSVLI

(a) Annal. Lib. XIII.
(b) Pag. 454.

PROCOS. ASIAE. LEGAT. PROPRAET. MOESIAE
IN. QVA. PLVRA. QVAM. CENTVM. MILL.
EX. NVMERO. TRANSDANVVIANOR
AD. PRAESTANDA. TRIBVTA. CVM. CONIVG
AC. LIBERIS. ET. PRINCIPIB. AVT. REGIBVS. SVIS
TRANSDVXIT. MOTVM. ORIENTEM. SARMATAR
COMPRESSIT. QVAMVIS. PARTE. MAGNA. EXERCITVS
AD. EXPEDITIONEM. IN. ARMENIAM. MISISSET
IGNOTOS. ANTE. AVT. INFENSOS. P. R. REGES. SIGNA
ROMANA. ADORATVROS. IN. RIPAM. QVAM. TVEBATVR
PERDVXIT. REGIBVS. BASTARNARVM. ET
RHOXOLANORVM. FILIOS. DACORVM. FRATRVM
CAPTOS. AVT. HOSTIBVS. EREPTOS. REMISIT. AB
ALIQVIS. EORVM. OPSIDES. ACCEPIT. PER. QVEM. PACEM
PROVINCIAE. ET. CONFIRMAVIT. ET. PROTVLIT
SCYTHARVM. QVOQVE. REGE. ACHERONENSI
QVAE. EST. VLTRA. BORVSTHENEN. OPSIDIONE. SVMMO
PRIMVS. EX. EA. PROVINCIA. MAGNO. TRITICI. MODO
ANNONAM. P. R. ADLEVAVIT. HVNC. LEGATVM
IN. HISPANIAM. AD. PRAEFECTVR. VRBIS. REMISSVM
SENATVS. IN. PRAEFECTVR. TRIVMPHALIBVS
ORNAMENTIS. HONORAVIT. AVCTORE. IMP
CAESARE. AVGVSTO. VESPASIANO. VERBIS. EX
ORATIONE. EIVS. Q. I. S. S
MOESIAE. ITA PRAEFVIT. VT. NON. DEBVERIT. IN
ME. DIFFERRI. HONOR. TRIVMPHALIVM. EIVS
ORNAMENTORVM. NISI. QVOD. LATIOR. EI
CONTIGIT. MORA. TITVLVS. PRAEFECTO. VRBIS
HVNC. IN. EADEM. PRAEFECTVRA. VRBIS. IMP. CAESAR
AVG. VESPASIANVS. ITERVM. COS. FECIT

*

Elogium sane magnificium, in quo praeter apicum signa syllabis fere longis adposita, notanda obiter est vox *differri* pro *transferri*, vel *deferri*, et το' αρχαικον *aliquis* pro *aliqueis*, seu *aliquibus*. Nunc ad rem quod attinet, Plautius Aelianus, qui et Silvanus. pro vice prima Consul processit sub Claudio Imperatore, cui Legatus, Comesque in Britannia fuerat. Altero vero Consulatu eum decoravit ob res egregie gestas Vespasianus Imperator,. quo tempore Plautius ipse Praefectum Urbis agebat. Atque haec praeclare quidem omnia, et ad fidem historicam apprime consentanea, de Tiberio Plautio Aeliano. Sed enimvero in Pompeiano titulo *Platilius* cietur, non *Plautius*, nec de fide marmoris dubitandum, quod iterato exscribendum curavimus. *Platilium* autem pro *Plautio*, scalptoris incogitantia positum, in titulo publico vix credibile videtur. Nam si quid in his peccatum a quadratariis aliquando, ecquem latere unquam potest, quae fuerit in corrigendo sedulitas? Marinius, qui haec minutissime prosequitur, qui praestantium virorum in talibus tractandis mos est, docebit, si quid in scalpendo excidisset, no-

tatum superne interdum, interdum inferne, haud raro ad marginem, in fine saepiuscule, quandoque et in medio ipso titulo, versuum ordine interturbato, quorum nil tale in tabula pompeiana cernere est. *Platilium* ergo retinendum censemus, nec de nomine novo, aut re nova nomini subiecta, verendum. De *Plautio* quippe, praecipue si de Aelio *Plautius* factus per adoptionem, facile in vulgus *Plautilius* primum, deinde *Platilius*, contrahendi libertate ampliata, prodiit. Nam prodigii fere loco esset, Platilium hunc nostrum alium extitisse a Plautio, in quorum utrumque *Tiberii* praenomen cum *Aeliani* cognomine, amice per fraudem conspirarit.

Haec si ita sint, ut esse videntur, de Aeliani consulatus aetate pro marmore Pompeiano pronum erit decernere. In hoc siquidem *Consul*, non *iterum* Consul dicitur. Ergo de primo, non altero eius consulatu, res est. Praefulget autem ei collega Statilius Taurus, qui Consul processit ad an. V. C. 797. Ad hunc igitur annum Statilii consulatus est referendus; nam si de Statilio Tauro Consule anni insequentis 798. ageretur, huic *Corvini*

cognomen additum, oportuerat, quod in lapide pompeiano plane omissum. Quod igitur Almeloveenius Ti. hunc Plautium Aelianum inter *Suffectos* adnumerat ex Kal. Martiis anni 800; parum belle processisse videtur; et Aeliani prior consulatus retro trahendus videtur ad an. supra memoratum 797. Recte ex adverso referas ad an. 798; quod sequitur:

2.

MARTIALIS. C. OLLI. PRIMI
M/ SALARIVS CROCVS
PRIMIGENIVS. C. OLLI. PRIMI
MIN. FORTVNAE. AVG
IVSSV
Q. POSTVMI. MODESTI. C. VIBI. SECVNDI
D. V. I. D.
C. MEMMI. IVNIANI. Q. BRVTTI. BALBI.
AEDII
*m. cl*VVIO. P. CLODIO. COS
V. C. 798. A. V. 45.

Ministri numero tres. Locus primus *Martiali*, Servo *C. Olli Primi*, tertius *Primigenio*

assignatus eiusdem *C. Olli Primi* , quos inter medius stat homo trinomius , *Man. Salarius Crocus*. Non tantum igitur a ministeriis non arcendi liberi homines , sed nihil insuper servis a servitute praeiudicium , quo minus etiam adversus liberos locum suum pro dignitate tuerentur , si hi , libertate excepta , nihil prae se maius in ministerio tulissent. Nec observare ἐν παρόδῳ pigeat , de Gente Ollia extitisse Poppaeam Neronis. Q. Postumius Modestus D. V. I. D. idem fortasse, ac Quinquennalis iste parietinus Pompeianus :

POSTVMVM

MODESTVM. QVINQ. O. V. F.

De Cluvii Consulatu longe gravior , periculique plena disquisitio. De Antonio , cum adhuc in Armenia esset , haec habet Dio Cassius (a) : *consulatum simul et dedit Cluvio , quem secum habebat , et ademit.* Quo fortasse

(a) Lib. XLIX. Cap. 4.

Dionis testimonio inducti Lydiatus, et Patina, quos allegat Almeloveenius, C. Cluvium cum C. Furnio inter Consules *suffectos* enumerat ex Kal. Novembris anni 725. Sed Cluvio consulatus ab Antonio fuerat reservatus ad an. 721. quod praestare deinde non potuit, non ad annum 725. Ad haec: tametsi Cluvio consulatus obtigisset an. 725; sed seiungendus tamen ab eo foret Furnius, de quo nihil Dio loco paullo ante memorato. Verius cum Collega mei amantissimo Burghesio statuendum, C. hunc Cluvium, etsi Consulem olim designatum, consulatum tamen numquam revera degustasse, cum de eo sic Diocassius alio loco (a): *Augustus Censor cum Collega Agrippa . . . in numerum Consularium duos ex Patribus retulit, C. Cluvium, et C. Furnium, quod Consules designati eum Magistratum ab aliis praeventi gerere non potuissent.* Fac enim, Cluvium reipsa ante id temporis Consulem processisse: iam igitur *iure Consularis* erat. Quid igitur opus Augusto,

(a) Lib. XLI. cap. 42.

ut ad annum 725. illum inter Consulares recenseret? Sic fere, et quidem Apolline dextro, Burghesius noster.

Caeterum ad nos quod attinet, fuerit, necne, revera Consul Cluvius iste, nihil omnino, si nomen excipias, illi commune cum Cluvio marmoris Pompeiani. In hoc siquidem res est cum *Ministris Fortunae Augustae*, quos institutos primitus fuisse ad annum V. C. 756. iam supra luculenter ostensum est. Rectius igitur Cluvium hunc Consulem tituli Pompeiani non *Caium* illum acceperis, de quo hactenus, sed *Marcum* potius cognomento *Rufum*, qui ad annum V. C. 798., aeraeque Christianae 45. Vinicio Quartino II. Kal. Iulii *suffectus* est. Quae si ita sint, delendus ex Almeloveenii Fastis Pompeius Silvanus male M. Cluvio adsutus, in eiusque locum collocandus P. Clodius. Et de P. quodam Clodio haec Tacitus (a) sub illorum persona, qui pro Oratorum stipendio tempestate Tiberiana contra Legem Cinciam

---

(a) Lib. IX. Cap. 7.

depugnabant : *prompta sibi exempla, quantis mercedibus P. Clodius, aut C. Curius concionari soliti sint.* Anne hic Consul tituli Pompeiani? temporum equidem rationes coniecturae huic minime incommodant. Et P. hunc Clodium Publii illius filium facile crediderims, pro quo ab exilio revocando extat epistola M. Antonii plane πολιτικοτερα ad Ciceronem, cui P. Clodius se infensissimum praebuerat (a).

De Q. Postumio Modesto D. V. I. D. dubitandi locus est, an ille sit, qui Postumus Modestus Quinquennalis dicitur in parietina Pompeiana pictura, quae sic habet:

POSTVMVM

MODÉSTVM. QVINQ. O\ F

(a) Lib. XIV. Epist. 14.

3.

L. NVMISIVS. PRIMVS
L. NVMISIVS. OPTATVS
L. MELISSAEVS. PLOCAMVS
MINISTR. FORTVN. AVG
EX. D. D. IVSSV
L. IVLI. PONTICI P. GÁVI. PÁSTÓRIS
D. V. I. D
Q. POPPAEI. C. VIBI. AEDIL
V.C. 814. Q. FVTIO. Q. CALVISIO. COS. A. V. 61.

Hic finis titulorum, qui Ministros Pompeis attinebant tum *Augusti*, tum *Fortunae Augustae*, ex quorum vel unis fragmentis superstitibus lectori patet, quanta olim, et quam ampla generis utriusque seges extiterit, cuius partem aliquam latere adhuc rudera inter merito speret, maximam frustra desideret; mirarique proinde desinat ingentem offendere hiatum, in quem saepe numero impingere invitos contigit. Pauca nunc, eaque non parvi momenti, pro titulo hoc omnium postremo exornando.

Notandi apices vocibus quibusdam ad-

picti. P. Calvisium Rusonem, Consulem Suffectum habent Fasti ad an. 814. V. C. Aerae nostrae 61: de Collega silent, quem nunc primum discere datur Q. Futium.

C. Vibius Aedilis alius censendus a D. V. I. D. marmoris proxime antecedentis C. Vibio Secundo, cui haud credibile, Aedilitatem attributam post Duumviratum. Aediles praeterea hi destituuntur consuetis siglis D. V. V. A. S. P. P; quod nimirum de re agebatur, *sacra* illa quidem, sed non *votiva*, pro qua una erant instituti D. V. V. A. S. P. P

Nec praetereundum denique fragmentum aliud *Ministrorum Fortunae Augustae*.

4.

. . . . .

. . . . .

Min. FoRTVN*ae*. *Augustae*
III. PR
M. E*p*IDI. M

Quod conferas, licet, cum his, quae supra de *M. Epidio Flacco* saepius dicta.

IN MVTILVM STABIARVM

Marmor

SCHOLION I.

Et hactenus quidem Pompeiorum nos *Sacra* tenuere, quibus in curandis doctrinam plerique nostram, fortunamque desiderabunt, operam, industriamque nemo. Cum ecce viae fessis marmor aliud ad metam veluti itineris de *sacrorum* item genere tractandum occurrit, non Pompeiorum illud quidem, sed Stabiarum, cognatae olim Pompeiorum civitatis. Quod a V. C. Carolo Rosinio iam diu restitutum, ulteriori adhuc videtur tractatione egere, utinam minus improspera! Praestat, illud in primis, ὡς κεῖται, lectoris oculis subiicere.

D. D
. . . AESIVS. DAPHNVS
. . . . TAL. NVCERIAE. ET
. . . . AEDEM. GENIS. STABIAR
. . . . S. MARMORI. . EXATA
. . . . DE. RESTITVIT

Restituendum provide curavit vir laudatissimus sic (a):

Decr. Decur.
M. Caesius. Daphnus
Duo. Bidental. Nuceriae. et
Vetustam. aedem. Geniis. Stabiarum
Labantibus. marmoribus. vexatam
Provide. restituit

In *vetustam* illam *aedem* lin. 4. ignoscendum homini novo, si nullis adduci delinimentis queat, ut vel ad modicum temporis declinet. Ruinam quippe fundamentis omnibus penitus destituta qua qua vorsum minitatur. De vocum restitutione ad lin. 5, et 6. nil moror. Quamquam enim *dilapsis*, prae *labantibus*, ad rei lapidariae τὴν ἀκρίβειαν quadrare magis videatur; et quod de Aede Geniorum restituenda decreto Decurionum agatur, *splendide*, quam *provide*, arrideat magis: ad rem tamen ipsam quod

(a) Diss. Isag. P. I. Cap. XII. p. 89.

attinet, horum utrumvis optes pro arbitrio, perinde erit. Verum quod lineae 3 per *Duo. Bidental*, facta medicina sit, vereor, ne Apolline parum dextro facta videatur.

Inveniant, sic vir summus, *eruditi vocem aliam in* TAL *desinentem, quae vacuum illud implere queat, et aedificiorum, ichnographiae respondeat.* Prudenter addita verba haec posteriora, quae rem traherent ad aedificiorum genus. Ecquem enim lateat ἀρχαικὸν τὸ *Kapital*, et alia pluscula desinentia in TAL de penitiore antiquitate petenda? Sed propositum viro erat, Mazochio viam praemonstrante, ostendere, τῷ *bidentali*, praeter vulgatam acceptionem, aliam subesse notionem, quae ad *aedificii* genus quoddam referatur, ipsumque vocabulum *Bidental* de Marmore Stabiano posse extundi. At nil opus Marmori Stabiano *Bidentali* hocce in *aedificii* cuiusvis potestatem accepto. Ambage namque omni semota, TAL Stabiani tituli non vocis integrae desinentia est, sed decurtatae indicium manifestarium. Si enim *Bidental* fuerit numeri, ut aiunt, singularis, ecquo sequestre conciliabuntur haec:

Duo Bidental? essent *bidentalia* duo, voxque adeo *Bidental.* decurtata sine dubio. At si τὸ TAL. decurtatae vocis indicium est, eccur, non aut *Capitalis*, aut *Augustalis* reddenda? redde *Augustalis*, sic enim extorquet, non suadet tantum, titulo proposita res. Marmori itaque omni haec facienda medicina videtur, de qua posthac titulorum mutilatorum curatores chirurgici iudicent:

Decr. Decur.
M. Caesius. Daphnus
Augustalis. Nuceriae. et
Stabiar. aedem. Geniis. Stabiar
Dilapsis. marmorib. vexatam
Splendide. restituit

Nec turbare tirones debet *Augustalis Nuceriae, et Stabiarum.* Oliverius (a) *Abeienam Balbillam* memorat *Pisauri*, et *Arimini Flaminicam.* Et Gruterus (b) *Cantiam*,

---

(a) Marm. Pisaur. n. XVVIII. p. 12.
(b) Pag. 322. n. 2.

Saturninam, *Arimini*, *et For. Sempronii Sacerdotem*. Quae si parum fortasse potentia ad rem conficiendam videantur, afferentur de Museo Borbonico tum *Antonius Trofimus*, *Puteolorum*, *et Neapolis Augustalis*, tum *Publicius Bathyllus*, *Augustalis Puteolis*, *et Venafro*.

Naevum hunc egregio veluti deprensum in corpore detergendum curavimus utcunque a viro erudito, quod factum, observantiae, non fraudis ergo, aequi bonique faciat, enixe rogamus. Ita quippe natura hominibus provisum, ut non omnia possimus omnes; et opere in magno praeterea

quandoque bonus dormitat Homerus.

SCHOLION II.

Delenda, *addendave Commentariis adhuc editis*.

In nosmet nunc faba recuditur, quandoquidem veritati uni litare, propositum nobis est. Haec igitur partim addenda, partim delenda de Commentariis adhuc editis.

Pro Comment. V.

Pag. 135. adde ad finem v. 19. — Sed cum *prufe* sit *probe*, veri similius est, *prufio* dictum pro *prubio*, quod vertere possis *probo*.

Pag. 145. ad vocem *Etanio* haec adde — Sed cum ibi de *multa pecuniaria* sermo sit, non improbabile videtur, vocem hanc τῷ *septem* latinorum respondere.

Pag. 147. v. 2. perge sic — Sed *Exdicum* nunc accipe eum, qui in Graecorum Municipiis vice Tribuni plebis fungebatur, in quam rem insignis Tullii locus Ep. 56. Lib. XIII: *se curaturum, ut Exdici Milesii Romam mitterentur*: —

Pag. 161. v. 5. — Probabile, vocem in duo esse resolvendam, ποκα, et ποτε, quae dorici peculii sunt.

Pag. 163. v. ult. — *Prume* pro *primo* rectius interpreteris, et *prumedicatud* solve in *prume*, et *dicatud*.

Pag. 166. v. 18. — *Intrutum* Plauto est *infaustum*. Itaque *perum dolom mallom intrutum* verte: *per dolum malum, quod absit*:

Pro Comment. VIII.

Pag. 13. titulum sic habe ex αὐτοψία, V. CL. Lupuli, Archiep. Comsani:

L. D. D. D

T. FL. T. F. FAB. SILVANO. PATR. MVN
EBVR. IIVIR. QQ. QVAEST. ARK. CVR
REI. FRVMENT. HVIC. COLL. DEND
ROPHORR. OB. EXSIMIAM. ERGA
SE. BENIVOLENTIAM. ET. OPEM. PER
PETVAM. STATVAM. DIGNISSIMO
PATRONO. POSVERVNT. CVIVS. STA
TVAE. HONORE. CONTENTVS. OBT
VLIT. COLL. HS. VIII. M. N. VT. QVODANNIS
NATALI. EIVS. DIE. III. IDVVM. DECEMBR
CON. FREQVENTENT. ET. OB. STATVAE
DEDICATIONEM. CONTVLIT. HS. XXX. N. IIvir
QQ. IIVIR. AEDILIC. SING. ET. LIBE
RIS.EOR.DEC. SING. HS.XX. N. VIRIS. AVGVS
TALIB. HS. XII. N. COLL. DENDROPHORR
FAB. SING. HS. MILLE. N. ET. EPVLVM
PLEBEIS. SING. XII. N. ET. VISCERATIONEM

Non una de causa tituli restitutori habendae gratiae. I. Namque ex eo discimus, ad *Eburum* nostrum, nunc *Eboli* in Lucania, titulum pertinere, pluraque adeo eiusdem nominis *Eburensia* extitisse Municipia, quam quae nota hactenus erant. 2. ad vers. 12. recuso in CONTVLIT. quod male ante CON. DEC., tenebrae omnes dispelluntur, quibus olim offundebamur, titulusque sine offensione ulla decurrit. 3. τὸ CON. FREQVENTENT in unam *confrequetandi* vocem esse coagmentandum, ut scite observatum a V. CL., collegaque meo amicissimo, Clemente Cardinalio. 3. a T. Flavio Silvano, praeter HS. VIII. M. N. Collegio Dendrophorum collata in statuae dedicationem, conlata etiam fuisse HS. XXX. N. Duumviris Quinquennalibus, Duumviris Aediliciis singulis, et Liberis eorum. Quo loco notandum, in beneficii huius partem vocatos *Quinquennales* tantum, non *Quinquennalicios*, at ex adverso *Aedilicios* omnes, qui nempe *Aedilitate* functi erant, cum liberis eorum. Decurionibus autem singulis HS. XX. N., Sexviris Augustalibus HS. XII. N., Collegio Dendro-

phororum Fabrûm HS. M. N. singulis ; et plebeis demum cum epulo, et visceratione singulis XII. N. Integratis idcirco rationibus, summa emergit = HS. 83000.

Pleniores ad haec Antistiti gratiae agendae, quod ad Cippi latus legerit :

DEDICATA. IV. KAL. APRIL

M. STLACCIO. AL

BINO. C. . . STEIAN

Pag. 44. siglas N. Ð. Ꞩ. ⁓ sic reddi volumus : *Natione Delmata. Vix. ann.* 40.

Pag. 77. post v. 20. perge sic = Patet hoc ex Tabula Canusina evidentissime. In qua cientur primo Consulum nomina. Post hos IIviri Quinquennales M. Antonius Priscus, et L. Annius Secundus. Demum post longam Patronorum CC. VV. seriem, recensentur *Allecti* quatuor inter *Quinquennales*, quod profecto *honoris*, non *muneris* nomen est, cum iam ante Quinquennales duo essent memorati.

Pag. 80. ad finem haec addito = *Tribus Sucussana Juniorum* intelligendi sunt,

qui annum sextum ultra quadragesimum nondum praetergressi fuerant, quique proinde militiae onere adhuc attinebantur. Nam qui cursum hunc aetatis suae emensi erant, hi *Seniores* appellabantur, *Immunesque*, quod militandi debito essent exsoluti. ut statutum antea a Servio Rege fuerat (a).

Pro Comment. IX.

Pag. 26. v. 8. post vocem AKVI. lege — Gens *Acuvia* tandem nobis in Fabrettio (b) occurit.

Pag. 28. Taedet eorum, quae in tit. 3. Oscum adornandum, explicandumque sunt congesta. Cum enim parieti Pompeiano titulus sit adpictus, de *Opere publico* minime cogitandum, ut conieceramus. Programma potius esse videtur, quod vulgo dicimus *affisso*, munerum celebrandorum, quorum exempla non pauca videsis in Dissert. Isag., et apud CC. VV. Millinium, atque Avelli-

---

(a) Vid. Gell. Lib. X. Cap. 28.

(b) Pag. 598. n. 7.

nium. Sic igitur illum habe characteribus communibus, inversoque verborum ordine, redditum:

V. II. M. N. IRVVNV. XX.
M. N. IIEIEIMNI
IIII. N. DENDEM

Quae reddiderim sic:

Ven. II. *M. Nov. Pugn.* XXI
M. Nov. Hae. omnes
IV. *Non. dabuntur*

Iruuni sive a graecorum τῆς ἐριδος, sive a latinorum *ira*, repetas, perinde est, *pugnamque* expone. Inde gens *Ironia* apud Gruterum (a):

MAGNA. IRONIA
SIBI. ET
MAGNIO. F
LIB. SVO. ET. LIB
LIBERTABVSQVE
SVIS

(a) Pag. 873. n. 13.

Quo in epigrammate est, quod notes. Si Libertus *Magnius*, *Magnia*, non *Magna*, dicenda Ironia. Singulariam F redde *fecit*. Sed haec obiter *Heieimni* in duo partior, ut sit *heiei*, et *umni*. Atqui ex *heiei*, aspiratione sublata, fit *eiei*, quod latinis est *ii*, vel aspiratione retenta, *heiei*, idest *hi*. Quod vero litera O carebant osci, *umni pro omni* dictum, sublatoque V. per aphaeresin, ut in voce composita, factum MNI, et ex ambobus *heieimni*. Unum hactenus inobservatum nolo pro coronide. Pompeiana inter epigrammata obviant passim latina cum oscis. Quid hoc? scio, bilingues fuisse Pompeianos. Sed neminem latet, romanos etiam Pompeis fuisse colonos deductos, acresque municipes inter, colonosque quaestiones agitatas. Opera publica, ludosque videas nunc in Colonorum, interdum in Municipum gratiam, celebrata. Quae ergo Municipum erant, osco sermone videntur processisse, quae Colonorum, romano.

De agro Frequentino, qui pars olim Aeclanensis, transmissum ad nos funebre epigramma eiusmodi, quod utrum marmoris,

an exscriptoris vitio, aut utroque simul, pessime habitum, haud facile dixeris.

SEPPIVS. SECVI. . .

CR. . IA. P. F. POLLA

SEPPIA . NEPOSILLA. .

QVOD. DECVR. FAORE. FILIA

PARENTI. VS. . . RST. PARENTIS

SV. EI. . . . . . FILIA. P

Sic restituendum videtur:

SEPPIVS. SECVNDVS

CRATIA. P. F. POLLA

SEPPIAE. NEPOTILLAE

QVOD. DECVR. FAVORE. FILIA

PARENTIBVS. SVPERSTES. PARENTES

SVPERSTITES. FILIAE. P

De *Cratia* nullum vadimonium facio, quae potuit esse *Crania*, *Crinia*, *Cronia*, et aliud quidpiam. Epigramma sane sapidissimum. *Seppio* adhuc viventi locus sepulturae videtur concessus *Decurionum favore*. Quo beneficio ille *superstes* cum uxore sua utitur pro *Filia*, quam frustra sibi *superstitem* optaverat.

CONCLVSIO.

Rogabit nunc quis fortasse; non enim desunt orbis literati Momi, qui malo reip. nostrae literariae consilio, famam sibi per contemptum alienum in diariis publicis aucupari student: *eccui bono* haec tanto labore, studioque conquisita? Cui paucis. Nulli, si de pecuniae, censusve accessione sermo sit. Nec enim literarum professionem mercaturam aliquando duximus. At veterum monumenta generis cuiuscunque recte interpretari, opportuneque exponere, magni fecere semper veri nominis sapientes. Veros autem sapientes intelligimus, non qui librorum edocti titulos in ipsorum indicibus corradendis toti sunt; in obviis, doctorumque vulgo notis, doctissimi, vulgarique eruditione necantes; in paullo abstrusioribus, novitatem praecipue aliquam prae se ferentibus, superciliosi, et veluti a Bonae Deae sacris caventes, spuriis, fictitiisque proni adiudicare: sed qui antiquorum exemplaribus insudare diu noctuque adsueti, verum a falso, dubium a certo secernere, lucem obscuris inferre, novum

denique aliquid, atque utile ipsi per se meditatione assidua exculpere norunt. Religionem modo excipias, humanitatemque, verae religionis consectariam, frigent profecto nostra fere omnia, si cum antiquis conferantur. Parte ex alia ecquid demum rerum nostrarum, sive domesticae eae sint, sive publicae, profanae, aut sacrae, ad posteritatis notitiam venturum putabimus ἐν ταις τῶν εθῶν, καὶ των καιρῶν καταστροφαις? Antiquorum contra paene universa ac singula et gravitatis plena sunt, et coram omnibus posita prae oculis, aerum, lapidum, caeterorumque his similium beneficio, quae sine dubio ad perennitatis laudem, quantum res humanae patiuntur, aliquanto firmiora sunt aestimanda, quam typi nostri, chartaeve periturae. Quandoquidem et cum his quoque fulcimentis

mortalia facta peribunt.